


N 9
2332



ZENTRALBIBLIOTHEK
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG
INTERNATIONALE
KONFERENZ
1974





Succincta & solida

2.

C O N I E C T I O

Illustris illius ac momentosæ multis ab an-
nis in Aula Cæsarea pendentis

C O N T R O V E R S I A E.

Qua

D E S V C C E S S I O N E

DN. JOHANNIS WILHELMI, Juliae,
Cliviae ac Montium &c. Ducis
p. m. vertitur.

Inter

*Serenissimos, Illustrissimos ac Celsissimos Principes
ac Dominos*

DN. FRIDERICUM WILHELMUM
Electorem Brandenburgicum,

DN. WOLFGANGUM WILHELMUM
*Comitem Palatinum ad Rhenum,
Neo-burgicum.*

Et

Serenissima Principissa ac Domina Domina

MAGDALENÆ Juliae, Cliviae ac Montium
Ducissae, haeredes masculos Comites Palatinos
ad Rhenum Bipontinos.

Iustitia & Pax

osculentur se,

Psal. 85.

ANNO M. DC. XLIIIX.

7a 49 id 770 iz

CONTRORVERSIAE
Illustris illius ac momentosae naturae ob
nisi in hinc C. hinc p. hinc

DE SECCSSIONE
DN. JOHANNIS WILHELMI, Julis
Clivis ac Montium Eccl. Ducis
p. m. p. m.



DN. FRIDERICUS WILHELMUS
Electoris
DN. WOLFGANGUS WILHELMUS
Comitis Palatinum ac Rheni
Neo-p. m. p. m.

Magdalenae
Ducis, hinc hinc hinc hinc hinc
ad hinc hinc hinc hinc hinc
Iusticia & Pax

ANNO M. DC. LXX.





Lectori salutem,

N Apfa est hæc controversia, quam tibi, *benigne & amice* lector, frontispicium huius libelli exhibet, in ea, proh dolor! tempora, in quibus iudicia & processus contra originem, naturam ac sanitatem Jurisprudentiæ opprimentium verius quàm oppressorum, lædentium quàm læsorum, iniquioris & malæ quàm melioris causæ videbantur refugia. Nectantum enim hac ante defunctus Dn. Elector Brandenburgicus JOHANNES SIGISMUNDUS & Dn. Palatinus Neoburgicus WOLFGANGUS WILHELMUS, cum circa Annum M. DC. X. possessionem provisionalem (*ut in rem suam procul dubio vocant,*) in præfatis Ducatibus Julii Cliviæ ac Montium, comitatibus item ac Dynastiis eò spectantibus apprehensum irent, Illustrissimam principem ac Dominam, Dominam MAGDALENAM Comitissam Palatinam ad Rhenum Bipontinam, Ducissam Julii Cliviæ ac Montium &c. à prædicta possessione (*ut cunque ordo successionis eandem ex æquo cum Neoburgico contingeret*) iniuste removerunt; sed & eandem, nisi liquidissimo jure suo cedere vellet, eò, ut cum iisdem in tædiosissimam processuum arenam condescenderet, adegerunt: inque ea, ne ocius vinceret, ipsi verò præventâ, possessione interea gauderent, ad fata sua usque quibus Anno M. DC. XXXIII. piè concessit, datâ in id singulariter operâ, ut ex certis causæ principiis incerta, & ex claris obscura redderentur, detinuerunt. Potuissent equidem post obitum hæredes eius Palatini Bipontini, relicto hoc tædioso ac secus quàm par est, protracto processu, fortunæ beneficio semel atque iterùm uti: eaque viâ, quâ ingressi sunt Dnn. Opprimentes, ingressum moliri: exemplo scilicet illorum, qui lites suas præteritis Germaniæ turbis ac procellis commiscere non dubitarunt, ut

his publicis sedatis, & illi privata sua composita obtinerent: ita nimirum audacia in exitu quandoque prudens & felix est. Sed maluerunt boni Principes Bipontini bonitati causæ, quæ tandem, quando spei nihil superesse videtur, triumphat, confidere; *Domino (ut Psaltes hortatur) silere eumque expectare, qui educit quasi lumen iustitiam oppressorum, & iudicium eorum quasi meridiem.* Quare more medicorum, qui interdum plus quiete, quàm movendo atque agendo proficiunt, litispendentiæ literisq; reversalibus Halæ- Suevorum Anno M. DC. X. acceptis hætenus acquieverunt; bonamque causam malè agendo suspectam reddere, aut alioqui plus invidiæ, quàm virium sibi addere noluerunt. Nihil omninò dubitantes, sanctitatè iudicii Cæsarei, iustitiæ item æquitatisq; Divinitatè aliquando pronunciaturas esse, quod juris. Sed enim, cùm quid quæq; nox aut dies ferat, incertum sit, punctoq; temporis sæpè magnarum rerù momenta, magnorumq; animorum moderationes vertantur; adeo, ut qui omnia prius patienter ferre poterant, postmodum, pro renatâ, fortunæ suæ consilia applicent & audaciam ad novas turbas induant. Visum est cùm Sac. Cæsareæ Maj. tis ac Coronarum Confœderatarum; tùm S. R. Imp. Electorum, Principum ac Statuum ad tractatus Pacis Osnabrugæ & Monasterii in Westphalia Deputatis Plenipotentariis, Consiliariis ac Legatis præter alia & huius controversiæ diremptionem eâ lege, ut sine mora fiat, per modum conventionis constituere ac præscribere: verba enim illorum in Pacis instrumento hæc sunt.

Quia verò etiam causa Iuliacensis successionis inter Interessatos, nisi præveniatur, magnas aliquando turbas Imperio excitare posset; ideo conventum est, ut ea quoq; pace confectâ ordinario processu, coràm Cæsarea Maj.^{te} vel amicabili compositione vel alio legitimo modo sine mora dirimatur.

” Etsi verò juxta hanc conventionem partibus ligantibus unica duntaxat expectanda finalis sententia: dubium tamen nullum est; quin interea varii varia ex possessione provisionali in oculos potissimum incurrente, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliquâ mentis, (*ut in simili Cicero loquitur,*) per motione magis

gis quàm veritate & juris normâ defumtâ sint laturi judicia. Ex
jussu igitur & mandato Dnn. Ducum Bipontinorum solidæ vi-
væque huius negotii rationes & fundamenta nervosa hac & e-
nucleatâ conjectione tibi, *benigne & amice* lector, sub oculos
ponuntur, ne fortè ex ignorantia inania pro solidis, vel sicut
Ixion (*ut est in fabulis*) nubem pro Iunone amplexeris. Cæ-
terùm, apud bonos in bona causa supervacua est commendatio,
cum ipsa res impetret, quod precibus exoratur. Vale.

C O N I E C T I O.

*Species facti statusq; exindè subortarum
controversiarum.*

Serenissimus Juliæ Cliviæ ac Montium Dux JOHANNES
WILHELMUS, cum Anno reparatæ salutis humanæ
M. DC. IX. è vitâ cederet absque liberis, superstites reliquit so-
rores tres ANNA M. Philippi Ludovici Comitis Palatini Neo-
burgici conjugem: MAGDALENAM, viduam Johannis
Comitis Palatini Bipontini; SIBILLAM, nuptam Carolo
Marchioni Burgovio, & cum his ex prædefunctâ sorore MARIA
LEONORA, Alberti Friderici Borussia Ducis viduâ, neptibus
aliquot; quarum natu maiorem thalami consortem fecit JO-
HANNES SIGISMUNDUS Elector Brandenburgicus.
Hisce de successione invicem concertantibus, totidem subortæ
sunt controversiæ: propugnantibus videlicet Electore Brande-
burgico nomine conjugis, & ex eadem susceptæ *prolis masculæ*;
& ANNA Neoburgicâ, successionis jus *non conjunctim, sed
ex assè singulis*; Viduâ verò Bipontinâ, *eiusdem sese condi-
tionis esse* cum sororibus reliquis, contendente; Burgoviâ de-
nique Viduâ rationem sui præ reliquis haberi postulante, quod
expeditam haberet viam ad capessendam fraternam heredita-
tem, quam *præclusam* sibi persuadebat *sororibus post pri-
mogenitam natis, per pacta earum-
dem dotalia.*

A. 5.

Et E.

Et Electoris Brandenburgici fundamenta
erant sequentia.

I. Bona, de quibus controversia est, magnam partem esse
allodialia, atque aded ad fœminas transitoria non minùs ab in-
testato, quàm ex dispositione & de consuetudine.

II. Feuda, quæ sunt, ita comparata esse ut fœmina eo-
rundem sint *participes*: deque iisdem extare *pacta successoria*,
sive hereditaria testamenta item aliasq; dispositiones.

III. Ducatus & Comitatus Juliacenses per fœmineas
successiones ita *conjunctos* esse.

IV. Præsertim quoniam *fœmineæ successiones* in terris
Burgundicis semper *receptæ* fuerint;

V. Aded ut filia, non extante prole masculâ, *ope ipso-
rum Imperatorum* possessionem obtinuerint;

VI. Ita quidem, ut *juris primogenii* ratio habita fuerit
etiam quoad filias.

VII. Et Ducatus ac Comitatus eiusmodi dividi ac sepa-
rari non possint, vigore *pacti*, quod vocatur, *Unionis*.

VIII. Et hæc firmari insuper cum *testamento* Wilhel-
mi Ducis Juliae, tum *pactis dotalibus Prutenicis*;

IX. Nec non *renunciationibus* in favorem primogeni-
tæ sororis factis, à supradictorum Comitum Palatinorum viduis,
cum nuberent.

Pro Illustrissima Viduâ Neo-burgica allega-
tum fuit hætenùs.

I. Privilegium *etatis*.

II. *Pacta dotalia* inter Johannem Ducem Cliviae, &
Wilhelmum Ducem Juliae.

III. Fœdus hæreditarium sive *pactum Unionis*, inter
utramque domum Clivensem & Juliacensem.

Viduæ Burgoviæ

fundamentum positum fuit.

In pactis dotalibus Neo-burgicis & Bipontinis, eisdemque
insertis *renunciationibus*. Vidua

Vidua verò Bipontina.

Nitebatur, dum viveret, *privilegii successorii*, (quod ab Imperatore Carolo V. gloriosiss. mem. Wilhelmus Juliae Dux indefectum masculorum impetravit,) *verbis tam apertis & indubiis*, ut in sensum alium absque evidenti calumnia detorqueri non possint.

Prole enim masculâ non extante ex prædicto Wilhelmo Duce Juliae eiusdemque conjugè Mariâ, Ferdinandi Rom. & Hungar. Regis filiâ hoc indulget Carolus Imperator sexui foemineo, non, ut successio sit penes filiam primogenitam; sed *ut 1. feuda Imperii ad filias ex eodem matrimonio susceptas devolvantur; ut 2. filiae sint ad feuda per substitutos recognoscenda habiles & idoneae: & denique 3. ut ipsis debeant feuda eiusmodi earundemque heredibus masculis conferri.*

Cum itaque filiabus hoc beneficium conferatur *indefinitè* cum conferatur *indifferentè, indistinctè, collectivè & pariter*: quid planius ac certius est, quàm eandem filiarum conditionem esse, ex eodem sive æquo jure, omnes & singulas ad successionem invitari.

Quod si Imperator voluisset, ut inter filias ordo aliquis esset & prærogativa, inæqualitas ulla ac differentia, nullo id negotio explicare potuisset: At, quia simpliciter & absque distinctione succedendi facultatem filiabus tribuit, noluisse videlicet censetur, ut ad unam dumtaxat id redundaret beneficium, quod indulserat omnibus. Nullum enim maius & significantius mentis nostræ testimonium est, quàm qualitas inspecta verborum, *ut Cassiodorus loquitur*. Nec de nihilo est, quod verba ab *Aristotele* notæ rerum appellantur, utpotè, *Cicerone Authore pro Cecinna*, non idcirco inventa, ut impedirèt, sed ut indicarent loquentium voluntatem. Undè rectè *Baldus juris Rom. Interpres*, ita exaudienda dispositionum verba monet, ne dissidium linguæ & animi inducatur, & aliud quis dicatur sensisse, aliud dixisse. Beneficium sanè Imperatoris, quod à Divina eius indulgentiâ proficiscitur, plenissimè nos interpretari debere, *Priscus*

Javo.

Iavolenus Antonini Imperatoris consiliarius respondit. Quod itaque beneficii loco Carolus Imperator haberi voluit, ad primogenitam restringi non debet; Taceo quod id, nisi vis fiat Imperatoris verbis fieri non possit.

Et cum generaliter dicta generaliter intelligenda esse ratio dictet non solum, sed & verborum proprietates: cur id ipsum circa privilegia non attendendum esse dicamus. Praesidem provinciae etiam adversus extraneos imperium habere, si quid manu commiserint, *Ulpianus Scriniorum Imp. Alexandri Magister*, ex eo colligit quod in mandatis Principum est, ut curet is, qui provinciae praesit, malis hominibus provinciam purgare, non facta distinctione *undè sint?* Undè & privilegiorum verba generalia generaliter accipienda esse, juris Interpretibus visum est: nec contra generalitatem restringi debere. Inter quos & hoc receptum est; indefinitam orationem universali equipollere; aded, id ipsum comprobetur textu juris Canonici, *in c. quia circa, de privileg.*

Ut itaque pluribus heredibus scriptis, nullis nominatis partibus, ex aequis eos partibus heredes esse, *Imperator Iustinianus decidit*; ut pluribus eadem sententia condemnatis, effectum sententiae pro virilibus portionibus discretum esse, *Imperator Alexander rescribit*: Ita dicialiter non potest, quam filiabus ad feudum vocatis, ad filias omnes id ex aequo pertinere; atque aded à primogenita reliquas absque injuria excludi non posse. Praesertim, cum nulla ratio sit, quae suadeat, aliter accipienda esse verba vasallum de feudo investientis, & aliter verba, filiabus, non extante masculino, privilegium succedendi conferentis. Quare, ut commune Feudorum lege, paterna feuda ad omnes aequaliter pertinent; ita potestate facta filiabus succedendi, ex aequo easdem succedere consentaneum est.

Deque eo, hoc praesertim casu, tantò minus dubitandum, ubi praeter solidum id (quod generali ac collectivà filiarum voce fulcitur) fundamentum, de mente Imperatoris filiabus pariter & ex aequo facultatem succedendi largientis, ex eo constat insuper; quod copiam iisdem facit, feuda per substitutos recognoscendi. Quod si feudorum capacem filiam duntaxat unam aut primogenitam Imperator voluisset, nihil opus erat, substituti

non unius sed plurium facere mentionem. Et si primogenii rationem habendam voluit Imperator, quomodo subsistet, quod de heredibus filiarum masculis disponit? quod videlicet feuda, non extantibus masculis, ad filias, aut iis non superstitibus, si ex una vel pluribus legitimos superesse heredes contingat, tunc ad relictos prædictarum filiarum heredes masculos, qui tunc extabunt devolvi ac pertinere; eoq; casu filiabus eiusmodi earundemq; legitimis heredibus masculis, si quos superstites reliquerint, conferri debeat masculos videlicet absque ullo ordine aut ætatis prærogativâ, ex unâ sive altera, sive ex pluribus etiam natos, & qui tunc extabunt, investiendos esse, clarius ac planius dici & explicari non potuisset: atque adeò, ut illustrissima Vidua Biontina piè defuncta à successione feudorum, de quibus quaestio est, excludi non potuit; ita eadem feuda ad filios eiusdem non minus, quam ad patruales eorundem Neoburgicos pertinere obvium est; fietque ex dilutione eorum quæ pro stabilienda causa partium contradicentium adferuntur, illustrius.

C O N F U T A T I O

Argumentorum Brandenburgicorum.

Nam ad Brandenburgica fundamenta quod attinet, negari quidem non potest: à successione allodialium fœminas arceri non posse; & militat pro allodio tanquam pro naturali qualitate, præsumtio: Veruntamen *hereditatis partem multò maximam allodiam non esse*, investiturarum feudalium tabulæ evincunt, habentque paratam probationem heredes feudales ex privilegio Carolino, quoad Ducatus comitatus & dynastias; adeò, ut jure vel titulo allodii obtineri non possit, nisi quod eodem jure ac titulo possessum esse demonstratur. Quoniam eadem ratio est partis, quæ totius; & res eadem diverso jure censerì non debet.

Feuda verò, de quibus lis est, *fœminea* esse, Diplomate Cæsareo apertè refellitur, quippe quo expressè continetur. 1. Wilhelmum Julix Ducem supplicibus ab Imperatore precibus efflagitasse, ut facultatem succedendi in feudis Imperii filiabus suis, earundemque heredibus masculis; idque 2. ex gratia singulari sive privilegio concederet. 3. ut filias, feuda eiusmodi

B

per

I.

II

per substitutos recognoscendi, habiles redderet & idoneas. 4. Imperatorem hunc supplicanti Duci eiusdemque, non indifferenter aut quibuscunque; sed ex Mariâ Hungariæ Regis filiâ susceptis heredibus legitimis, gratiam fecisse. Sanè, quod jam lege permissum est, precibus postulare, superfluum esse *Imp. Leo* rescribit. Ne itaque aut imprudenter aut actum egisse *Guilhelmus* Juliae Dux censeatur, statuendum omninò est, feuda eiusmodi, de quorum successione filiabus conciliandâ tantoperè fuit sollicitus, *masculina fuisse*: qualia quidem eadem & fuisse & permanisse, ex eo præterea apparet: quod 1. feuda *simpli-*
citer nuncupata masculina sunt, prout heredum feudalium nomine masculos solos intelligi, lege *Conradi* Imperatoris continetur: idque de natura feudorum esse, consuetudinibus feudali-
bus expressum est. 2. Quòd & *Maximilianus* I. Imperator *Mariam* *Wilhelmi* Ducis Juliae ac *Montium* filiam submissè ac humiliter à parente requisitus, *dignam & idoneam reddidit*, quæ feudis eiusmodi ab Imperio dependentibus investiretur. 3. Quòd in tabulis investiturarum, quæ privilegium *Corolinum* subsecutæ sunt, feuda eiusmodi nuncupantur feuda *recta*, quibus feuda masculina denotari, concors est *Feudistarum* consensus. Et vel hinc est, absq̃e dubio, quòd, ut uterq̃; *Dux* *Wilhelmus* in supplicando fuit modestior; ita Imperator uterque parcior fuerit in rescribendo; ita quidem, ut *filiabus* duntaxat utriusq̃; *earundemque* *heredibus masculis*, succedendi spes & privilegium & quæsitum & obtentum videamus.

II.

Quod verò 2. de pactis hereditariis ac successoriis adferretur, de testamentis item, aliisque dispositionibus, *in facto* consistit: & ut feudali jure difertè cautum est, nullam defuncti ordinationem de feudo valere; ita pacta successoria, quoad feuda Imperii *confirmationem* *Cæsaris desiderare*, exempla docent in illustrissima Ducum Saxonie, Marchionum Brandeburgensium & Hassie Landgraviorum aliisque Familiis. Idque ob evidentem hanc rationem: quod feudum dicitur atque adeò est beneficium. In eo itaque ex voto & voluntate parentum legitimè aliter non succeditur, quàm si ea congruat voto ac voluntati.

tati conferentis, ut videlicet lex ea observetur, quam dixit, qui beneficium contulit. Quemadmodum legem quam quis dixit, cum dotem daret, observari oportere, *Imp. Alexander* respondit.

Nec 3. ad rem facit; quod Ducatus & Comitatus, de quibus controversatur, per connubia successivè *coniunctos* videre licet. Aliud est enim occasionem conjunctionibus eiusmodi fœminas dedisse; longè aliud, fœmineis successibus hoc effectum esse. Et cum hoc feudalis eorundem non admittat qualitas, id consequens est, ut quod successivè consequi non licuit, *precibus impetratum* dicamus. Utcunq̄ue verò fœmineæ successiones in terris Burgundicis, quod *quarto loco* in argumentum adducitur, receptæ fuerunt; de quo tamen nihil certi ausim affirmare: Constat tamen inter omnes, consuetudinem cum sit *stricti juris*, maximè generali juri vel consuetudini contrariam de loco ad locum, vel de casu ad casum, vel de re ad rem; vel de persona ad personam, multò minùs de uno Ducatu in alium, extendi non debere. Proindè, & quod imperatores fœmellarum successionem quandoque promovisse, adfertur, *gratia ac beneficio* imputandum esse apparet.

Ad jus primogenii quod *sexto* attinet, inculcandum denuò est, quod primogeniti vel primogenitæ unâ vel alterâ vice, præjunioribus natu vel fratribus vel sororibus successerunt, ex eo non effici, jure primogenii id factum esse, atque ita fieri oportuisse: quippè quod fieri potuit etiam ex causis aliis. Probandum itaque est, vel lege cautum, vel pacto conventum, vel consuetudine id ita receptum esse & fuisse, ut penes primogenitum solum sit successio: quoniam *regulare* hoc esse, ut filii filiave æqualiter succedant, dubitationem nullam admittit. Sed ut probationis onere subleventur Adversarii, ex supra memorato *Imp. Maximiliani* privilegio videre licet; Etsi is Mariam duntaxat *Wilhelmi Ducis Juliae* filiam feudorum paternorum capacem reddiderit, & post obitum demùm eius, si quam nasci contigisset alteram; succedendi tamen facultatem *masculis ex utraque filia nascituris indifferenter* collatam esse. Quod cum

III.

IV.

V.

VI.

exprimatur verbis non minùs Carolini diplomatis, frustra utiq; sunt, qui primogenii jure successionis sibi prærogativam persuadent.

VII.

Pactum præterea Unionis, si hoc fine adfertur, ut stabilietur successio primogeniti, privilegio Carolino è diametro repugnat. Aut itaque dicendum est; privilegium hoc tanquam posterius pacto, quod dicitur unionis derogare; aut ut subsistat utrumque. Pactum prius ita accipiendum est, ne successionis jus tribuatur primogenito soli, quod commune eiusdem gradus liberis vel posteris Imperator voluit *omnibus*: præsertim, cum id *commode* fieri possit, ac proinde, ut fiat omnino sit necessarium. Ne videlicet privilegium frustraneum evadat. Sanè, privilegium de successione disponere planum est & plano planius: unionis pacto de successione quicquam actum aut cautum esse, ne verbo quidem unico doceri potest: Eadem igitur facilitate refellitur, qua astruitur. Præsertim, cum scriptura suos probet limites. Nec ad rem facit, quod *dividi* Ducatus ac Comitatus ita uniti non posse videntur: nam, ut hoc largiendum foret; fallax tamen est, quæ ducitur à divisione ad successionem consequentia: quoniam separata utriusque est ratio. Quemadmodum iudicium communi dividundo in agro vectigali locum habere, etsi regionibus dividi non possit. Ulpianus supra allegatus respondet: Ita etiam Fridericus Imperator feuda quidem Ducatum, & similia dividi prohibuit, Primogenitum autem in iisdem succedere exclusis fratribus natu minoribus, nec juri consentaneum, nec consuetudine receptum est, uti exempla in Germania nostra in contrarium ubique sunt obvia; ita quidem, ut si feuda regalia instar patrimonium non dividantur pro indivisis tamen partibus possideantur, partesque habeant coheredes: *intellectu* magis quam *corpore*: quemadmodum de servo communi Ulpianus alibi docet. Eademque est jurisdictionis aliarumque rerum incorporalium ratio & conditio; quæ ut sint individua, ratio tamen inventa est, ut suo modo possint dividi, tam quoad exercitium, quam quoad emolumenta: ne videlicet ob id, quòd dividi bona nequeunt, penes filium natu maiorem resideant exclusis reliquis, contra commune parentum votum a naturalè erga liberos caritatem, *ut Papinianus apud Imp. septem.*
Seve-

Severum praefectus Pratorio loquitur. Testamentorum por-
rò circa feuda eadem est, quæ pactorum autoritas, hoc est,
nulla: ut supra firmavimus. Cum enim Investiturâ primâ
provideatur successoribus, eo ipso constitutum censetur, ne id
quod jam quæsitum habeat jus, sine facto suo, quovis modo in-
tervertatur. Subsistere itaque nequit, quicquid in fraudem fi-
liarum sive heredum juniorum sive testamento sive pactis dotali-
bus Prutenicis continetur. Pacisci sanè licet, testari licet; sed
de rebus pleno jure ad nos pertinentibus, quarum videlicet mo-
derator quisque est & arbiter: pater enim familiâs uti super fa-
milia tutelave rei suæ legasset, ita jus esto, ait lex XII. tabella-
rum. Quòd si res post mortem nostram vel restitutioni obno-
xia sit, vel redeat ad eum, undè ad nos profecta est, res in eum ca-
sum recidit, undè incipere non poterat, & corrui, quicquid de
eiusmodi bonis vel conventum vel testatum reperitur: ne id,
quod nostrum est, vel invitis vel ignorantibus nobis ad alium
transferatur, contra dictamen tam rationis quàm æquitatis.
Atque hinc est, quòd, cum Johanni Friderico Saxoniae Duci
desponderetur Sibilla Johannis Ducis Cliviae primogenita, pa-
ctis quidem dotalibus cautum fuit, ut ad eandem, parente absq;
masculo herede defuncto, successio devolveretur: Atqui, cum
paciscentibus probè notum esset, de feudis Imperii quicquid
convenerit, non intercedente suffragio & autoritate summi
Principis, fore frustraneum, necessarium omninò judicarunt
pactisq; adeò comprehensum voluerunt id operam dare sedulo
ut pactorum tabularata haberentur ab Imperatore ac confir-
marentur.

Renunciatio denique Bipontina ut officere laudatiss. me-
moriam Viduae non potuit, errore videlicet & reticentiâ privi-
legii Carolini ad id perperam inductæ, præsertim *ante nume-*
rationem dotis solenniter ac testatò revocate; Ita serenissimis
ac illustrissimis multò minùs filiis eiusdem nocere potest; *iure*
proprio, quod ex eiusmodi privilegio quæsitum habent, ad suc-
cessionem adspirantibus.

Quæ cum ita sint, apparet, Serenissimos & Illustrissimos
Principes Bipontinos ab Electore Brandenburgico moderno

pronepote videlicet Alberti Friderici Ducis Borussiae ex Maria Leonora Juliacense, quoad feuda Imperii, de quibus lis vertitur, non tantum *excludi non posse*; sed & è contrario, Celsitudini ipsius *nihil omnino juris* competere. Extra aleam enim dubitationis positum est, Johanne Wilhelmo Duce Juliae Cliviae &c. absque prole mascula defuncto, sororibus eiusdem superstitibus earundemque, posteris in feudis eiusmodi succedendi spem omnem praecisam fuisse; *nisi aditum ad successionem iisdem munisset*, avus Wilhelmus impetrato, cuius mentio *jamsapè facta est*, privilegio. Repetendum itaque est extenore eiusdem, quem Imperator, cuius in manu & arbitrio id positum erat, *succedendi defini verit modum ac ordinem*? Is quidem est eiusmodi: *Vt prole mascula ex Wilhelmo Juliae Duce extincta, feuda Imperii ad filias eiusdem legitimas ex Maria Hungaria Regina conjugate susceptas, aut si nullas earundem eo casu superesse, sed ex una aut pluribus heredes legitimos existere contingeret, ad relictos earum heredes masculos devolvi debeant.*

Serenissimi itaque Electoris Brandenburgici proavia Maria Leonora cum fratri Johanni Wilhelmo *superstes non fuerit*, palam est, ad eandem vigore privilegii saepius allegati nihil devolutum esse. Eadem omnino erat aviae Celsitudinis suae conditio: Nam etsi in bonis allodialibus vigore repraesentationis idem jus habuerit, cum illustrissimis materteris; à feudis tamen iis privilegii verbis disertè remota fuit, *quibus post filias Wilhelmi Ducis, earundemque heredes masculi, & quidem heredes masculi tantum vocantur*. Quod verba non tantum satis expriment; sed eo ipso etiam ostenditur, quod mentio quidem, post filias heredum fit legitimorum quorumcunque; beneficium autem succedendi ad heredes *masculos* expressè restringitur. Verba itaque dispositionis cum Aviae Serenissimi Electoris non conveniant, nec dispositum utique ad eandem pertinere potuit. Cui denique consequens est, quòd ad illam devolu-

devolutum non est, nec ad Nepotem Electorem ratione ullâ transmitti potuisse.

Quibus omnibus accedit, quod pactis dotalibus Prutenicis successio primogenitæ confertur non *simpliciter*, sed *juxta tenorem* Carolini privilegii; quod, cum intentioni Brandenburgicæ planè sit adversarium, suomet se gladio jugulant eisdem assertores.

D I L U I T I O

Argumentorum Neo-burgicorum.

Quod secundo loco ad fundamenta attinet Neo-burgica; consistunt & illa in prætenso jure *primogenii*, Ponamus itaque *primo*; Imperatorem Carolum filium Wilhelmi Ducis Julicæ facultatem succedendi non indulsisse: nunquid ætatis intuitu sive jure, major natu filia successionem obtinere potuisset? Non utique: ut privilegio utroque tam Carolino quam Maximiliano evincitur. Et Carolino quidem tantò magis, quod gratiam & privilegium succedendi is largitur *filiabus* Ducis Wilhelmi *non quibuscunque*; sed iis demùm, quas ex Maria Hungariæ Regina suscepturus erat, ut superiùs tactum est. *Absque privilegio itaque cum hic nulla sit aut subsistat successio*; atque adeò non entis nulla sint accidentia, id consequens est, non jam attendendum esse, quid circa successionem *antiquitus* observatum fuerit; sed quid Imperator *in futurum* indulserit, observandumque præscripserit.

Eadem ratione planè nec 2. pactis *dotalibus* inter Johannem Ducem Cliviæ & Wilhelmum Julicæ Ducem. nec 3. pacto *Unionis* supra memorato prærogativa ætatis sustineri potest. Cum enim uno eodemque tempore Imperator Ferdinandus & pactum unionis & privilegium Carolinum, idque verbis amplissimis confirmarit, quis credat aut dicat *contraria sibi que invicem adversantia* Principem, uno eodemque quasi momento constituere voluisse? Et non commodâ potiùs interpretatione ita rem temperatam esse, ut utrumque subsistat; ne, quod privilegio Carolino filiabus earundemque heredibus masculis æquo jure

I.

II.
&
III.

jure tribuitur, confirmatione confœderationis sive pacti Unionis ademptum iisdem censeatur: contra quàm Imperator ipse sese serio velle contestatur: privilegium successionis in *omnibus verbis, clausulis punctis, articulis & contentis firmiter & inviolabiliter* observari valere, ac permanere: ut eodem Wilhelmus Dux eiusdemque legitimi heredes re ipsâ frui possint absque ullo impedimento & obstaculo: Cui quidem unionis pactum exclusivum videlicet heredum cæterorum præter primogenitum (prout perperam allegatur & accipitur) è diametro adversari præterea, quæ sapiùs deducta sunt, eo ipso evincitur: quòd Carolus Imperator, non existentibus filiabus, ad successionem invitat non unius duntaxat, non primogenitæ, non primogenitum eiusdem aut alterius; *sed masculos heredes, qui ex unâ vel pluribus filiabus extabunt.* Imò, si pactum utrumque, dotale nimirum & unionis, penitiùs inspiciantur, evidenter apparet, id quod de perpetua confœderatione & conjunctione Ducatum & terrarum Juliensium & Clivensium placuit & conventum est, *ad causam successionis tantò minus trahi posse:* quoniam aliud pactis ipsismet continetur: & pacto quidem *unionis* hoc, quòd subsistere ac custodiri à successoribus undequaque debeat; sive coaleat, quæ tùm contrahebatur affinitas, sive corruat. Quòd si sponsa in manum sponsi non convenisset, quis dicat? *eundem successorem terrarum Juliensium non minùs quàm Clivensium futurum fuisse.* Ita pactis *dotalibus* cautum videre licet; si conjuges absque liberis decedere contingat, id quod constante matrimonio possessum fuit, ad heredes utriusque partis proximos redire debere. Et alia eiusmodi. Unde sole clarius elucescit; absurdos esse, qui à pacto unionis, quod consistit *in conjunctione animorum, facultatum ac virium ad propulsandam injuriam à terris unitis ac hostilem impetum*, consequentiam ducunt ad unionem, quæ constare fingitur unico possessore unitarum ditionum. Nisi dicamus, unionem inter ipsosmet conditores Ducis Juliae videlicet & Clivie &c. non constitisse: quod æquè absurdum foret, ipsisque Unionis tabulis planè adversarium. Restat itaque, ut concludamus,

damus, nihil solidi afferri, quo prerogativa, quæ astruitur, Neoburgica sustineri & obtineri possit.

BURGOVICUM.

QUod attinet fundamentum, cum Vidua illa vitam cum morte commutarit, *non relictis liberis*, res eò rediit: ut jus quod in feudis Imperii habuit, extinctum sit, adque nepotes eiusdem ex sororibus petineat. *In allodialibus* omnium tam nepotum quam neptum par eademque ratio est; non obstantibus Palatinis renunciationibus, ut quæ in favorem masculorum factæ, iisdem extinctis & ipsæ expirarunt: præter quàm quod superius demonstratum est, renunciationes serenissimis & illustrissimis heredibus *masculis* fraudi esse non posse.

Conferendo itaque hætenus dicta & deducta in unum, concludimus cum Johanne Julio Montense, necessariò & irrefragabiliter sequi: Decisionem præsentis controversiæ de successione Juliacensi, Clivenfi & Montensi, quatenus est feudalis, *non ex prætenso jure Majoratus vel primogenituræ: non ex unione provinciarum: non ex conventionione matrimoniali Prutenica, non ex aliis pactis, testamentis aut renunciationibus; sed ex privilegio habilitationis Carolino* tanquam solo & unico indubitato & immoto fundamento esse petendam: fundamento inquam, quod laudatissimus Princeps Wilhelmus Dux Juliæ, Cliviæ & Montium &c. harum terrarum omnium possessor unicus *posuit*; quod invictissimus Cæsar Carolus V. non temerè; sed deliberatò & cum causæ cognitione publicis Imperii Comitibus *comprobavit*, quod eius frater, fratrisque filius Imperatores Ferdinandus & Maximilianus insolentissima forma *ratum habuerunt*; quodque cum jure communi Imperii, cum legibus ac consuetudinibus feudalibus cum antiquo usu & observantia *consentit*, ipsaque denique iustitiâ, veritate & naturali æquitate *munatum & suffultum est*. ut proindè lectori id ipsum privilegium ceu huius controversiæ decidendi fundamentum, sicubi hærebit, ob oculos esset, libuit

C illud

illud in lingua, quâ emanavit germanicâ subnectere, atq; ita suspicionem, ne in translatione forsitan verbis vis facta, aut fontes turbati fuerit, apud omnes bonos præcavere.

C O P I A.

Gülchischen Privilegii Successionis von

Keyser Carl dem fünfften in Anno

I 5 4 6. gegeben.

W Ir Carl der fünffte zc. Bekennen öffentlich vnd thun kund allermänniglich mit diesem Brieff: Als jeso der hochgeborne Wilhelm Herzog zu Gülch/ Cleve vnd Berg/ Graff zu der Mark vnd Ravensperg/ Herz zu Ravenstein / vnser lieber Schwager vnd Fürst des durchleuchtigsten großmächstigsten Fürsten/ Herrn Ferdinanden Römischen/ zu Hungern vnd Böhheim zc. König zc. Vnsers freundlichen lieben Bruders Tochter / die durchleuchtige hochgeborne Fürstin / Frau Maria / geborne Königin zu Hungern vnd Böhheim zc. Vnserer freundlichen lieben Ruhmen / nach Göttlicher vnd der heiligen Christlichen Kirchen Ordnung / zu dem Sacrament der heiligen Ehe genommen / vnd vns dem nach demütiglich angeruffen vnd gebetten hatt / daß wir S. Liebdt. Vnd deroselben Gemahlin von Römisch. Keyserlich. Majest. Macht vnd Gewalt / diese besondere Gnade vnd Freyheit zugeben Gnädiglich geruheten: Wann es sich fügte / daß er bey vnd mit gemelter seiner Gemahl vnser Ruhmen in wehrender Ehe / nicht Söhne/ sondern allein Töchter vberkäme/ oder gleichwol Söhne.

ne vberkame / die aber vor den Töchtern oder derselben
ehelichen Leibs Erben / ohne eheliche männliche Leibs Er-
ben Todts halben abgiengen / daß als dann auff die Töchs-
ter / so von ihme vnd gedachter vnser Muehmen seiner
Gemahlin / ehelich gebohren / Alle vnd Jede S. Lieb-
Fürstenthumb / Graffschafften / Hertzschafften / Land vnd
Leuth / die von vns als Römischen Keysern vnd dem heis-
ligen Reich zu Lehen rühren / fallen / kommen vnd ihnen
zustehen sollen; Sie auch derselben Lehen durch ihre Träs-
ger zuempfehen tauglich vnd geschickt seyn / vnd ih-
nen vnd ihrem ehelichen männlichen Leibs Erben von
vns vnd vnsern Nachkommen am Reich zu Lehen verlies-
hen werden sollen. Als haben wir angesehen die manigs-
faltige Getreue / vnverdrossene vnd willigliche angeneh-
me Dienst / die der bemelte vnser Schwager Herzog
Wilhelm vnd sein Voretern / vnsern Vorfahren am
Reich vnd vns / so oft vnd dick gethan haben / vnd S.
Liebd. vns noch täglich thut / vnd fürbaß zuthun sich er-
beuth / auch wolthun kan vnd mag : Vnd auch von wes-
gen der sonderbaren Gnaden / die wir zu ihme vnd bemel-
ter vnserer Muehmen S. Lieb. Gemahl tragen vnd has-
ben. Darumb mit wolbedachtem Muth / guten stattlis-
chen Rath / vnd mit rechtem Wissen / dem obgemelten vn-
serm Schwagern Herzog Wilhelmen vnd seinen Ehe-
lichen Leibs Erben von ihme mit gedachter vn-
serer Muehmen Königin Maria ehelich erwor-
ben / diese besondere Gnade vnd Freyheit gegeben vnd
verliehen : Wir geben vnd verleihen auch ihnen dieselbe
von Römisch. Keyserl. Macht / Vollkommenheit / wissent-

E ij

lich

lich in Krafft des Brieffs: also / wann es sich füger
würde / daß gedachter Herzog Wilhelm mit
obgedachter S. Liebdt. Gemahl unserer Müh-
men keinen ehelichen männlichen Leibs- Er-
ben überkäme / oder gleichwolent männliche
Leibs- Erben mit ihrer Liebdt. erwürbe / die
aber nachgehendts vber kurz oder lang ohne ehe-
liche männliche Leibs- Erben abgiengen / daß
alsdann so kein männlicher ehelicher Leibs- Erb
von sein Herzog Wilhelms Leib erböhren mehr
vorhanden ist / obangeregte S. Liebdt. Fürsten-
thumb Landt vnd Leuth / die von vns / als Rö-
misch. Keyser. vnd dem heiligen Reich zu Lehen
rühren / auff sein Herzog Wilhelms eheliche
Töchter mit gedachter seiner Gemahl / Königin
Maria / unserer lieben Mühmen / ehelich erwor-
ben / oder wo derselben dazumal keine im Leben
wäre / vnd aber von einer oder mehr / ehelich ge-
bohrene Leibs- Erben vorhanden wären / als-
dann auff dieselben S. Liebdt. Töchtern nachge-
lassene eheliche männliche Leibs- Erben / so der-
selben Zeit im Leben seyn / fallen kommen / vnd
ihnen folgen vnd zustehen sollen. Vnd in sol-
chem Fall ihnen vnd ihrem ehelichen männlichen Leibs-
Erben / wo sie deren einigen hinder ihnen verlassen / von
vns

uns oder vnsern Nachkommen am Reich zu Lehen gnädig-
lich geliehen werden sollen. Und gebiethen darauff al-
len vnd jeden vnsern vnd des heiligen Reichs Churfür-
sten/ Fürsten / Geistlichen vnd Weltlichen / Prælaten/
Graffen/ Freyen/ Herzen/ Rittern/ Knechten/ Hauptleu-
then/ Landvögten/ Bisthumen/ Bögten/ Pflegern/ Vers-
wesern / Amptleuthen/ Schultheisen/ Burgermeistern/
Richtern/Räthen/Burgern/Gemeinden/vnd sonst allen
andern vnsern vnd des heiligen Reichs Vnterthanen vnd
Getrewen / in was Würden Stands oder Wesens die
seynd/ernstlich vnd vestiglich/von Röm. Keyserl. Macht/
mit diesem Brieff: daß sie obgemelten vnsern E. Schwa-
ger Herzog Wilhelm vnd seine Erben bey solcher Gnad
vnd Freyheit gänzlich gerühiglich bleiben/derselben ganz
vnd gar gebrauchen vnd genießen lassen/sie darinnen nicht
verhindern noch bekümmern / noch jemandt anders zu-
thun gestatten / als lieb einem jeden seye/vnser vnd des H.
Reichs schwere Vngnad vnd Straff zu vermeiden:
Dann wo Jemandt/wer der wäre/wider diese obgeschrie-
bene vnser Gnad vnd Freyheit freventlich thäte/oder zu-
thun vnderstünde / der oder die sollen in vnser vnd des H.
Reichs schwere Vngnad/vnd zu rechter Poen vnd Straff
hundert Marck löthigs Golts/ verfallen seyn/halb in vns-
ser vnd des Reichs Cammer / vnd den andern halben
Theil obgemeltem Herzog Wilhelmen oder seinen Erben/
so also wider obgeschriebene vnser Gnad vnd Freyheit bes-
chwerdt/ verhindert oder bekümmert seyn oder angefocht-
ten werden / gänzlich vnd vnnachlässlich zu bezahlen.
Daß meynen wir ernstlich mit Vrkundt dises Brieffs / bes-
siegelt mit vnserem Keyserlichen anhangenden Insiegel:
Geben in vnser vnd des heiligen Reichsstadt Regenspurg
E iij den

den neunzehenden Tag des Monats Julij nach Christi
vnfers lieben Herren Gebure / 1546. vnfers Keys
serthumbs im Sechsvnd zwanzigsten vnd vnserer Reich
im ein vnd dreyfigsten Jahr.

CAROLUS.

U. Naves

Ad mandatum Cæsareæ
& Catholicæ Maj.
proprium.

IOHANN. Obernburger.

Cicero 2. Off.

Sicuti, qui stadium currit, eniti & contendere debet,
quàm maximè possit, ut vincat: supplantare eum, qui
cum certet, aut manu depellere nullo modo debet: ita in
vita: sibi quemque petere quod pertineat ad usum
non iniquum est; alteri deripere
jus non est.

F I N I S.

no

Off. 2.
Stent qui statim curant & commendare debet
sup. cum: ut vincat: supplantare cum: qui
cum curat: aut manu debelle nullo modo debet: ita in
vita: ubi duntaxat perire quod perinat ad vitam
non indignum est: saltem debere
ita non est.

S I M I L

Ng 2332 jr


ULB Halle 3
007 360 908



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



Et a & solida

E C T I O

amento fæ multis ab an-
cæsarea pendentis

D V E R S I A E.

Quæ
C E S S I O N E

WILHELMI, Juliae,
Montium &c. Ducis
vertitur.

Inter
simos ac Celsissimos Principes
&c Dominos.

UM WILHELMUM
Brandenburgicum,

GUM WILHELMUM
atinum ad Rhenum,
-burgicum.

Et
ipissa ac Domina Domina
E Juliae, Cliviae ac Montium
masculos Comites Palatinos
um Bipontinos.

tia & Pax
ulentur se,
psalm. 85.

M. DC. XLIIIX.

iz

2.

